

riori, aut magis distantem judicem accedendo iudicii mutandi causa. Cum enim edictum istud habeat locum etiam in actore, malitiose iura cedente alteri, ut dictum; ergo pariter reus potest agere ad interesse contra actorem, sicut actor contra reum, malitiose rem suam transferentem in alium iudicii mutandi causa. Abbas, ubi supra, n. 6.

13. *Per rescriptum apostolicum contra alienantem impetratum, convenitur is, in quem facta est alienatio iudicii mutandi causa.* — Quæritur III. Quidnam jure canonico circa alienationem iudicii mutandi causa specialiter statutum haberetur? Resp. Duplicem haberi specialem decisionem per duo distincta capitula. Primo enim in cap. i. h. t. statuitur, quod is, in quem facta est alienatio rei causa mutandi iudicii, conveniatur per rescriptum apostolicum impetratum contra alienantem.

14. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod rescripta justitiæ non extendantur ad personas, de quibus in ipsis non fit mentio, c. *Sedes*. 15. *de Rescriptis*. Neque etiam jurisdictio delegata ad alias personas in rescripto non expressas prorogari valeat, cap. P. et G. 40. *Offic. delegat.* et alibi. Resp. enim cum Glossa magna in cit. cap. i. h. t. id esse speciale in presenti casu, beneficio hujus decretalis: alias autem verum esse, quod rescripta non extendantur ad personas in ipsis non expressas. Cæterum ratio specialitatis, cur ita in proposito statutum fuerit, est odium illorum, qui ita dolose, et fraudulenter faciunt alienationem iudicii mutandi causa. Siquidem fraus, et dolus alicui patrocinari non debent, cit. c. *Sede*. et c. *Ex tenore*. 16. *de Rescriptis* similibus.

15. *Quid de cessione, ac emptione litium, in jure canonico statuatur?* — Deinde in cap. ii. h. t. approbantur leges civiles (*Legitimæ sanctiones* appellatæ) quibus prohibentur cessiones, ac emptiones litium, L. penult. et ult. *C. Mandati*; eo quod hujusmodi redemptiones litium ex fonte cupiditatis videantur procedere. Præsertim vero clericis inhibetur sub censuris ecclesiasticis, ne causa mutandi iudicium, seu adversarios ad ecclesiasticum forum petrahendi, laicorum actiones sibi cedi faciant, aut etiam hujusmodi cessionem recipiant. Verum quod attinet ad cessionem, ac emptionem litium, videantur dicta superiorius. Tit. XXXVIII. *de Postulando*. § 2, n. 46 et seqq. ubi de hoc iam actum fuit. (ADNOTATIO XX.)

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Postquam hæc de præparatoriis iudiciorum visum est, merito de ipsis iudiciis videndum esset. Nihilominus compilator juris canonici pro fine libri primi *Decretalium*, et antequam in secundo agat de iudiciis, præmittendum censuit titulum *de Arbitris*: tum ut imitaretur ordinem juris civilis, tam in *Digestis*, quam *Codice*, prius agentis *de Arbitris*, ac *de Iudiciis*; tum quia superius de officiis diversorum iudicum, variisque eorum officium concernentibus actum fuit; sicque nunc tractatur de arbitris, cum et hi ad instar iudicum ad sedandas controversias assumantur; tum tandem, quia per arbitria non raro lites terminantur, atque ita sopiuntur, ut in iudicio contendere non sit necesse.

§ I.

DE NATURA ET DIVISIONE ARBITRORUM, HORUMQUE DIFFERENTIIS AB ARBITRATORE ET JUDICE.

2. *Arbitri vocabulum, varias habet acceptiones.* — Quæritur I. Quid si arbiter, et in quo differat ab arbitratore? Ubi prænotandum, varias esse dicti vocabuli acceptiones. Nam quandoque *Arbiter* ponitur pro teste; ut *Genes.* cap. xxxix, 11. ibi: « Accidit, ut Joseph operis quidpiam absque arbitris faceret. » Interdum quis dicitur « suæ rei moderator et arbiter, » quatenus de ea pro suo arbitrio, seu libitu, disponere valet; ut l. *In re mandata*. 21. ff. *Mandati*. Dicitur etiam quis arbiter, seu dispositor rerum alienarum, l. *Quis tam*. C. *de Decurionib.* lib. X. Aliquando arbiter accipitur pro iudice; ut l. *Quisquis*. C. *de Postulando*, ibi: « Non idem in eodem iudicio sit advocatus, et iudex; quoniam aliquem inter arbitros, et patronos oportet esse delectum. » Verum dimissis hujusmodi acceptionibus, utpote ad propositum nostrum non pertinentibus.

3. *Arbiter generatim, quid?* — Resp. I. Generatim loquendo, *Arbiter* idem est, ac vir bonus, ad aliquod negotium æstimandum, et terminandum electus. Ita Vallensis h. t. § 1, n. 2; Engel eod. n. 1. et alii. Siquidem *Arbitri* nomen est derivatum ab *arbitrando*, id est, æstimando: sicque in tam lata, atque

generali acceptione, etiam convenit arbitratori, et amicabili compositori.

4. *Et quomodo differat a compositore amicabili?* — Porro compositor amicabilis differt ab arbitratore, ut genus a sua specie. Nam omnis arbitrator potest dici compositor amicabilis, non e contra: sic enim, qui sua sponte, et absque prævio in ipsum facto compromisso, discordantes inter se componit, et pacificat, recte dicitur compositor amicabilis; non vero arbiter, vel arbitrator, idque defectu compromissi. Joannes Baptista, tom. III. *Tractatum*. tract. *de Arbitris*, cap. iv, n. 1.

5. *Arbiter stricte, quid?* — Resp. II. « *Arbiter* » proprie ac stricte acceptus, et quantum ad propositum, est persona idonea, sive ex legis præscripto, sive ex partium conventionione electa, ut circa controversiam exortam suum iudicium pronuntiet. Ita Pirhing h. t. n. 1; Sannig, eod. tit. cap. i. estque in re communis.

6. — *Arbiter stricte, quid?* Dicitur primo, « persona idonea: » quia non quilibet est habilis ad officium arbitri subeundum, ut infra § 2, n. 39. et seqq. dicitur. Et additur, « sive ex legis præscripto, » etc. ad insinuandum duplex genus arbitratorum, quorum aliqui eliguntur ex legis præscripto, alii vero ex privata partium conventionione; prout amplius proxime declarabitur.

7. *Suscipit partes iudicis.* — Dicitur ulterius, « ut circa controversiam exortam suum iudicium pronuntiet. » Nam arbiter proprie est, « qui iudicis partes suscipit, fidemque se sua sententia controversiis impositurum promittit, » ut est textus notabilis in l. *Idem Pomponius*. § *Recepisse*. ff. *de Receptis arbitris*; haud obstante, quod adhuc nonnullæ differentie inter arbitrum et iudicem existent, de quibus infra n. 23 et seqq. agetur. Non enim arbiter in citato textu dicitur *Judex*, sed dumtaxat « iudicis partes suscipere: » ad instar videlicet iudicis iudicium suum pronuntiando circa exortam controversiam, sive item quamdam.

8. *Arbiter quomodo differat ab arbitratore.* Ille assumitur super lite, hic super contractu. — Resp. II. Arbiter differt multipliciter ab arbitratore. Imprimis enim arbiter assumitur super lite, sive ad cognoscendum circa controversiam super re litigiosa exortam, arg. l. *Non distinguemus*. § *Quæsitum est*. ff. eod. Unde etiam ad similitudinem iudicii dat sententiam, sive arbitrium suum, l. I. ff. eod.

estque proxime dictum. Arbitrator vero eemper sumitur super contractu: nam, ubi constat de contractu, v. g. societatis, transactionis, emptionis, etc., arbitrator assumitur, ut videat, quid æquum sit, ut unus det alteri ex causa talis contractus; nec ut æstimet pretia rerum aut operarum, sicque super contractu discordantes pacificet cuilibet tribuendo portionem suam, quæ ipsum contingit. Abbas in c. *Quintavallis*. n. 8. *de Jurejurand.*; Speculator, tit. *de Arbitris*. § *Arbiter*. n. 3; Bartolus in l. I. § *Et post operis novi*, n. 1. ff. *de Operis novi nuntiati*. Et quamvis arbitrator quandoque in litibus, citra formam iudicalem definiendis, videatur locum habere, arg. auth. *Si vero contigerit*, juncta Glossa §. *Compositionem*. C. *de Iudiciis*; tamen re vera etiam tunc intervenit contractus, saltem finiendus, ut loquitur Abbas loc. cit. Cum arbitrator ille assumatur super contractu transactionis ineundæ, imo ipsum arbitramentum sit quædam transactio. Glossa notabilis in auth. *Ut differentes iudices*. §. *Conventum*. collat. 9. Joan. Baptista, cit. tom. III. *Tractatum*. tract. *de Arbitris*. cap. ii, n. 2. cum aliis.

9. *Arbiter procedit juris ordine servato, non arbitrator.* — Differt secundo arbiter ab arbitratore, quod ille debeat procedere juris ordine servato; suscipit enim in se partes iudicis. Arbitrator e contra non tenetur servare juris ordinem, sed extrajudicialiter, atque ex æquo et bono rem componit. Insuper officium arbitratoris regulariter omnes suscipere possunt; non item officium arbitri: nam ab hoc, propter solemnitatem iudicariam ab arbitris observandam, repelluntur fœminæ, et quidem alii, de quibus infra § 2. n. 39 et 41.

10. *Illius sententiæ, etiam iniquæ, standum est; hujus autem sententiæ reducitur ad arbitrium boni viri.* — Rursus sententiæ arbitri compromissarii standum est, sive æqua sit, sive iniqua, l. *Diem proferre*. § *Stari*. ff. h. t. Sibi enim imputet, qui eum elegit. Sententia vero arbitratoris propter quæcumque gravem læsionem, quam pars læsa probaverit, reducitur ad arbitrium boni viri, l. *Societatem*. § *Arbitrorum*. et l. seqq. ff. *Pro socio*. et c. *Veniens*. 16. *Jurejurand.* cum concordantiis, per Speculatorum cit. num. 3. adductis.

11. *Nemo potest esse arbiter in re sua, bene tamen arbitrator.* — Differunt ulterius, quia non potest quis esse arbiter in re sua, l. S.

de re. ff. h. t. Bene tamen potest quis esse arbitrator in propria re, seu offensa, dummodo juste arbitretur: alioquin enim itur ad arbitrium boni viri, l. *Si cum ea*. C. de *Dotis promission.*; Speculator, tit. de *Arbitris*. § *Potest esse*, n. 7. Abbas in d. c. *Quintavallis*. n. 10. de *Jurejurand.*

12. *Illius sententiæ dicitur Arbitrium, sive Laudum, hujus arbitramentum.* — Differunt tandem, ut taceantur plures aliæ differentiæ, quarum viginti duæ afferuntur ab Abbate in cit. c. *Quintavallis*, n. 8 et seqq. Quia sententia arbitri proprie dicti, seu juris ordine servato procedentis, proprio nomine dicitur *Arbitrium*, sive *Laudum*: contra sententia arbitratoris solet appellari *Arbitramentum*.

13. *Arbitrorum duplex est genus.* — Quæritur II. Quotuplex sit genus arbitrorum, quæque inter hos differentia? Resp. I. Arbitrorum duplex est genus, videlicet arbitrorum juris, seu necessariorum, et arbitrorum voluntariorum, seu compromissariorum. Textus est in l. *Societatem*. 77. ff. *Pro socio*. estque communis. Et quidem.

14. *Arbitri juris, seu necessarii, qui?* — « Arbitri juris » (qui et « necessarii » appellantur) sunt illi, qui ex necessitate, seu ex præscripto legis, a iudice vel a partibus constituendi sunt; de quibus in jure varia exempla habentur; ut c. *Suspicionis*. 39. de *Offic. delegat.* et c. *De arbitris*. 11. eod. in 6. ubi ad causam recusationis iudicis suspecti dijudicandam, jubentur arbitri eligi. Item, si diversi iudices super revocatione Litterarum Apostolicarum discordant, arbitri a partibus eligi debent, qui de hoc puncto cognoscant, c. *Pastoralis*. 14. de *Rescriptis*. Similiter, si episcopus cum clerico subdito controversiam habeat, ea per arbitros utriusque partis consensu electos terminanda est, can. *Si clericus*. 11. q. 1. Tacentur alia hujusmodi exempla, de quibus suo loco.

15. *Arbitri voluntarii, seu compromissarii, qui?* — « Arbitri voluntarii, » seu « compromissarii, » econtra dicuntur illi, qui ex libera partium conventionione, seu compromisso constituuntur. Unde et « voluntarii » appellantur, quia ex nulla juris necessitate, sed ex privata dumtaxat partium voluntate assumuntur: « Compromissarii » vero, quia ex concordia partium compromisso eliguntur.

16. *Multiplex inter hos est differentia.* — II. Inter arbitros juris seu necessarios, et inter voluntarios sive compromissarios, multiplex est discrimen. Glossa in c. *Suspicionis*.

39. §. *Ad quæ omnia*. et Abbas ibid. n. 7. ac. seqq. de *Offic. delegat.* et communis; idque patet inductione. Siquidem, ut taceatur illa differentia, quæ ex definitione utriusque habetur, videlicet, quod illi necessario, seu ex legis coactione; hi vero ex mera partium conventionione, seu libera harum voluntate assumantur.

17. *A sententia arbitrorum juris potest appellari, non item compromissariorum: et cur?* — Differunt imprimis, quia a dicto, sive sententia arbitrorum juris, seu necessarium potest appellari; ut c. *Ab arbitris*. 11. de *Offic. delegat.* in 6. juncta glossa fin. ibid. Econtra a dicto arbitrorum compromissariorum non appellatur; L. 1. C. h. t. ibi: « Ex sententia arbitri ex compromisso iure perfecto aditi, appellari non potest. » Concordat can. *A iudicibus*. 2. q. 6. et Glossa proxime citata, sic concordans jura iuribus. Et merito, quia illi necessitate legis, seu iudicis coacti, tenentur in arbitros compromittere; unde æquum est, ut ab eorum sententia appellare possint, quando sese gravatos sentiunt. Secus est in arbitris compromissionis, utpote qui non necessitate, sed mera compromittentium voluntate assumuntur; unde sibi imputet, qui omisso iudice competenti voluit adire arbitrum, si dein læsus fuit.

18. *Illi habeat quamdam jurisdictionem.* — Deinde differunt, quia arbitri juris, seu necessarii, habent jurisdictionem, et quamdam coercionem; nam a lege datur ipsis potestas ad expedienda omnia, quæ sunt necessaria ad causam definiendam; ut citare partes, testes compellere, eosque examinare, ac punire, si sint inobedientes, cit. c. *Suspicionis*. de *Offic. delegat.* Ubi Glossa §. *Ad quos omnia*, horum arbitrorum jurisdictionem appellat « quasi ordinariam: » quæ dictio quasi minuit, et indicat, dictam arbitrorum necessariorum jurisdictionem non esse mere ordinariam, cum hanc ipsi non habeant, nisi in certo casu: nec mere delegatam, quia princeps eos non elegit, sed consensus partium jure sic volente: ac proinde esse quasi mixtam ex utraque. Quamvis magis ipsorum jurisdictionis videatur accedere ad delegatam, quam ad ordinariam, arg. cit. c. *Suspicionis*. de *Offic. delegat.* et c. *Ab arbitris*. eod. in 6. ut pote quæ duo capitula tractant de istis arbitris juris, et tamen sunt collata sub tit. de *Offic. delegati*, et non sub tit. de *Offic. ordinarii*: valet enim argumentum a situatione rubricæ, ut dictum in præmio, § 6. n. 103. et seqq.; Abbas in

cap. ult. n. 21 et 22. de *Sententia, et re iudicat.* citans Jo. Andream.

19. *Isti dumtaxat notionem.* — Econtra arbitri voluntarii, seu compromissarii, nullam habent jurisdictionem, neque coercionem, sed tantum cognitionem, seu notionem quamdam, l. *Ait prætor*. ff. de *Re iudicat.* ac notat Abbas in c. *Cum dilectus*, n. 3, h. t. Hi enim totam potestatem a partibus compromittentibus accipiunt: privati autem non possunt conferre jurisdictionem, l. *Privatorum*, C. de *Jurisdiction. omn. judic.* Unde arbitri compromissarii non possunt testes compellere ad comparandum, nec eos delinquentes punire, neque partibus coram se litigantibus impetare, aut eorum contumaciam punire, nisi quatenus ipsæ per compromissum sponte se obligarunt. Glossa in d. c. *Cum dilectus*, §. *Nisi de his*. h. t.

20. *Arbitri juris compelli possunt ad suscipiendum munus; non sic compromissarii.* — Tertio differunt, quia arbitri juris compelli possunt ad suscipiendum hoc munus, etiam in virtute obedientiæ, c. *Cum speciali*. 61. de *Appellat.* ac notat Glossa in c. *Suspicionis*. §. *Ad quos omnia*; de *Offic. delegat.* Sed arbitri compromissarii non possunt compelli ad acceptandum munus istud, L. *Labeo*. 3. § *Tametsi*. ff. h. t. ubi expresse dicitur, quod ab initio nemo cogitur arbitrium suscipere, « quoniam hæc res libera et absoluta est, et extra necessitatem jurisdictionis posita, » quamvis post susceptum compromissum cogatur quis illud explicare. Ratio diversitatis est: quia priores assumuntur ex necessitate legis, habentque jurisdictionem: non sic posteriores. Tacentur aliæ differentiæ, de quibus Glossa in cit. *Cum dilectus*, §. *Nisi de his*. eod. et alii.

21. *Arbiter, in quibus differat a iudice? Jurisdictio arbitrorum juris, an sit ordinaria, an delegata?* — Quæritur III. An, et in quibus arbiter differat a iudice? Resp. I. Quamvis arbiter, præsertim necessarius, non multum differat a iudice, proprie tamen non est iudex, nec ordinarius, nec delegatus, sed ad similitudinem delegati. Ita Glossa in c. *Suspicionis*. §. *Ad quos omnia*. de *Offic. delegat.* dicens, quod jurisdictio arbitrorum juris sit « quasi ordinaria: » sicque indicat, quod non sit mera ordinaria; nam dictio: *Quasi*, minuit. Abbas, in d. c. *Suspicionis*. n. 9; card. Tuschus, litt. A. concl. 457. n. 7. post Baldum, consil. 90. lib. I. et concordant dicta superius, n. 18.

22. *Arbitria sunt redacta ad formam judi-*

ciorum; et quomodo? — Cæterum, quod arbiter non multum differat a iudice, probatur ex eo, quia arbitria sunt redacta ad formam iudiciorum, L. 1. ff. h. t. et consequenter inter arbitrum et iudicem nec est identitas, nec magna differentia. Accedit, quod arbiter juris, seu necessarius, ad instar iudicis, habeat jurisdictionem, et coercionem quamdam, cit. c. *Suspicionis*, juncta Glossa, ibid. §. *Ad quos omnia*, possitque ab eo appellari, non minus ac a iudice, c. *Ab arbitris*. de *Offic. delegat.* in 6. Quinimo, quod arbitria et iudicia sint similia in omnibus, in quibus dissimilitudo non reperitur expressa, notat Speculator tit. de *Arbitris*. § *Differt*. n. 15.

23. *Arbitria sunt redacta ad formam iudiciorum; et quomodo?* — Resp. II. Quamvis arbitria sint redacta ad formam, seu similitudinem iudiciorum, cit. L. 1. ff. h. t., id tamen non procedit quoad omnia, sed solum tunc, ubi aliud non reperitur specialiter expressum. Ita Glossa in cit. L. 1. ff. et Abbas in c. *Cum dilectus*, n. 2 et seqq. h. t. et alii passim, id probantes ex pluribus differentiis, quæ dantur inter iudicem et arbitrum; sicque ulterius probant hunc proprie non esse iudicem ordinarium, ac delegatum.

24. *Multiplex discrimen inter arbitrum et iudicem assignatur.* — Primo siquidem arbiter compromissarius non habet jurisdictionem, sed quamdam notionem dumtaxat, l. *Ait prætor*. ff. de *Re iudicat.* et l. *Privatorum*. C. de *Jurisdiction. omn. judic.* estque dictum supra n. 19. Et licet arbiter juris, seu necessarius, quamdam habeat jurisdictionem, ut proxime dictum; nihilominus hanc non habet nisi in certo articulo, super quo eligitur. Secus est in iudice, prout aliunde liquet.

25. *Multiplex discrimen inter arbitrum et iudicem assignatur.* — II. Iudex potest sententiam suam executioni mandare, c. *Quærenti*. 26. de *Offic. delegat.* cum similibus. Econtra arbiter suum arbitrium, sive laudum, exequi non potest; sed pro executione ejus recurrendum est ad iudicem ordinarium ipsius rei, *Cum antea*. C. h. t. et firmat Baldus ibid. et Abbas in c. *Per tuas*. n. 1. h. t. Speculator, loc. cit. n. 3; Gailus, lib. I. *Practic., Observat.* 1. n. 6. citans alios.

26. *Multiplex discrimen inter arbitrum et iudicem assignatur.* — III. Arbiter compromissarius (secus in necessario, seu arbitrio juris, cit. c. *Suspicionis*. de *Offic. delegat.*.) non potest punire contumaces, nec testes cogere, eo quod jurisdictionem non habeat;

nisi in compromisso hoc actum fuerit. Glos. in c. *Cum dilectus*. §. *Nisi de his*. et Abbas ib. n. 12, h. t. Judex econtra potest utrumque.

27. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — IV. Judex potest dari invitus, l. *Munerum*. 18. §. *Judicandi*. ff. de *Minorib.* cum concordantiis ibidem per Glosam adductis. Non sic arbiter compromissarius: quia nemo invitus cogitur arbitrium suscipere, licet illud semel susceptum cogatur explicare, l. *Labeo*. 2. §. *Tametsi*. ff. h. t.

28. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — V. Judicium redditur etiam in invitum, l. *Inter stipulantem*. §. *Si Stichum*. ff. de *Verbor. obligat.* Secus dicendum est de arbitrio, arg. cit. c. *Labeo*, §. *Tametsi*, ff. h. t. Nam, sicut nemo cogitur esse arbiter compromissarius, ita et hunc non tenetur admittere invitus.

39. *Multiplex discrimen inter arbitrum et judicem assignatur.* — VI. Reconventio non habet locum coram arbitro, utpote qui non potest judicare, nisi de his tantum, super quibus in ipsum extitit compromissum: bene tamen coram judice locum habet reconventio. Textus, et doctores in c. *Cum dilectus*, 6. h. t.

30. *Laudum arbitri non infamat, bene tamen sententia judicis.* — VII. Laudum arbitri non infamat condemnatum: quia non per omnia sententia est, l. *Quid ergo*. §. *Ex promisso* ff. de *iis qui notantur infamia*: juncta glossa ibid. §. *Non infamat*. Sententia vero judicis super delicto famoso lata infamat, l. 1. et seqq. ff. eod. cum similibus.

31. *Aliæ differentie inter arbitrum et judicem. Remissive.* — VIII. A sententia judicis concessum est appellare, cit. tit. de *Appellat.* non item a sententia, seu laudo arbitri compromissarii, utpote mera voluntate propria a partibus electi; estque dictum supra, n. 17. Tacentur aliæ complures differentie, de quibus Speculator in cit. tit. de *Arbitris*, §. *Differt*, et alii passim.

§ II.

DE ILLIS, QUI COMPROMITTERE IN ARBITROS, VEL ARBITRI ESSE POSSUNT.

32. *Generatim loquendo possunt compromittere in arbitros, qui habent liberam rerum administrationem; alia secus.* — Quæritur I. Qui possint compromittere in arbitros? Resp. I. Generatim loquendo, illi possunt compro-

mittere in arbitros, qui habent liberam rerum administrationem: qui autem alienare, seu libere de re disponere nequeunt, nec circa eam compromittere in arbitros possunt, quando celebratur compromissum in forma, quæ alienationem inducat. Ita desumitur ex c. *Cum tempore*, ubi Abbas n. 3. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. h. t.; Pirhing h. t. n. 10, et alii. Nam hoc ipso, quod ex tali compromisso possit sequi alienatio, sicut hæc supponitur esse prohibita et invalida, ita et illud; juxta reg. 94 juris in 6. «Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.»

33. *Idque declaratur exemplis.* — Sic in cit. c. *Cum tempore*. h. t. habetur, quod abbas cum conventu possit quidem compromittere in arbitrum circa ea, de quibus disponere possunt: non tamen circa illa, quæ concernunt libertatem, seu exemptionem ipsius monasterii; cum huic, etsi sponte velint, de jure nequeant sine licentia Summi Pontificis renuntiare.

34. *Idque declaratur exemplis.* — Similiter in l. *Non solum*. C. de *Prædis minor.* sicut non possunt per venditionem prædia pupillarum alienari, ita nec super eis potest transigi. Atqui compromissum æquiparatur transactioni. c. *Per tuas*. 9. h. t. ibi: «Compromittere posset, vel transigere super eo;» ergo.

35. *Quando tamen compromissum celebratur in forma alienationem inducente.* — Additur notanter n. 32. «Quando compromissum celebratur in forma, quæ alienationem inducat. «Nam secus dicendum, si alienatio rei prohibita inde non inducatur, sed pars succumbens solummodo teneatur solvere pecuniam alteri parti: quia valet tale compromissum (dummodo aliud non obstet) licet res ipsa alienari non posset. Abbas in cit. c. *Cum tempore*. n. 3. h. t.

36. *In specie compromittere in arbitros nequit pupillus, minor habens tutorem, servus.* — Resp. II. In specie loquendo, compromittere nequit pupillus sine tutoris auctoritate, nisi fidejusserit, a quo poena peti possit, l. *Si pupillus*. 40. ff. h. t. Idem dicendum de minore habente curatorem l. *Labeo*, juncta Glossa. §. *Commissæ*. ff. h. t. Tertio, compromissum a servo factum non tenet, l. *Non distinguemus*, §. *Si servus*. ff. eod. Neque procurator potest compromittere sine speciali mandato domini, c. *Per tuas*. et Abbas, ibid. n. 2. h. t.

37. *Quid de religioso, et clerico?* — Insuper religiosus nequit compromittere in arbitrum

II. DE ILLIS, QUI COMPROMITTERE IN ARBITROS, VEL ARBITRI, ETC. 435

absque licentia sui superioris, quamvis habeat administrationem. Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 7. Ubi inter alia hoc ipsum docet de clerico quoad perpetuum præjudicium faciendum Ecclesiæ, cui præest; licet quoad modicum damnum, ut puta de fructibus, seu in quantum donare posset, sicut et quoad bona sua patrimonialia indistincte, teneat ejus compromissum. Tacentur alii, de quibus idem Hostiensis, n. 6. et 7; Pirhing h. t. n. 11.

38. *Arbitri esse possunt omnes qui non reperiuntur prohibiti. Edictum de arbitris est prohibitorium.* — Quæritur II. Qui possint, vel non possint esse arbitri? Resp. I. Generatim loquendo omnes possunt esse arbitri, qui non reperiuntur specialiter prohibiti. Desumitur hoc ex l. *Labeo*. 3. §. fin. et seqq. ff. h. t., ubi subjungitur, quod possint in arbitros assumi cujuscumque dignitatis personæ. Item filiusfamilias l. *Sed et*. et l. *Quin etiam*, ff. eod. et tam ingenuus, quam libertinus, sive integræ famæ sit, sive infamis: non tamen servus, l. *Pædus*. 7. ff. eod. Concordat textus in can. *Infames*. §. *Cognitores*. 7. quæst. 3. nam edictum de arbitris est prohibitorium, certarum videlicet personarum; sicut et edictum de iudicibus, l. *Cum prætor*. 12 ff. de *Judiciis*, eo quod arbitria ad similitudinem iudiciorum sint redacta, l. 1. ff. h. t. Unde quicumque non prohibetur expresse, per consequentiam admittitur, cit. l. *Cum prætor*. et c. *Cum apud*. 23. juncta Glossa, §. *Prohibitorium*. de *Sponsalib.*

39. *Arbiter nequit esse furiosus, mutus, surdus, pupillus, minor viginti annis.* — Resp. II. Loquendo magis in specie, furiosus, mutus aut surdus, sicut et pupillus, non potest esse arbiter compromissarius, l. *Sed etsi*. 9. ff. h. t. Idemque dicendum de minore viginti annis, l. *Cum lege*. 46 ff. eod. Nisi forsitan talis sit, qui de jure communi, aut consuetudine habeat jurisdictionem, seu potestatem iudicandi: quia tunc valide poterit in ipsum compromitti. Glossa in d. l. *Sed etsi*. citans Bartolum; et habetur simile in c. *Dilecti*. 4. h. t. Porro in majorem viginti annis potest quidem compromitti: si tamen is sit minor viginti annis, et temere compromissum acceptando, seu arbitrium pronuntiando læsus fuerit, restituitur in integrum, cit. l. *Cum lege*. §. *hæc*. ff. h. t.

40. *Quid de religioso?* — Resp. III. Religiosus privatus nequit esse arbiter compromissarius, nisi id exposcat sui monasterii utilitas, et prælati consensus accedat. Ita Duran-

us, tit. de *Arbitris*. §. *Sequitur*. n. 29 et 30; Engel h. t. n. 6; Sannig eod. cap. II. n. 3 et alii. Desumitur hoc ex can. de *Præsentium*. et can. *Monachi*. 16. q. 1 estque in simili jam dictum supra tit. 38. de *Procuratoribus*. §. 2. n. 48.

41. *Fœmina non potest esse arbitrix.* — Resp. IV. Fœminæ non possunt esse arbitri, seu arbitrices. Textus et doctores in l. ult. C. h. t. ubi istud intelligitur de quibusvis mulieribus, licet summæ atque optimæ opinionis constitutæ sint. Ipsæ enim ab omnibus civilibus, et publicis officiis remotæ sunt, l. *Fœminæ*. 2. ff. de *Regul. juris*. Et cum arbitria sint redacta ad instar iudiciorum, sicut mulier non potest judicare, ita nec arbitrari.

42. *Exceptis certis casibus.* — Intellige, nisi mulier sit talis, quæ in majori dignitate constituta habet potestatem iudicandi, c. *Vereor*. 8. q. 1 et c. *Dilecti*. 4. et Abbas, ibid. n. 1 h. t. Vel nisi terræ consuetudo, utpote derogans juri communi, aliud teneat, d. c. *Dilecti* h. t.; Durandus, cit. tit. de *Arbitris*. §. *Potest*. n. 1; Engel, h. t. n. 6. et alii.

43. *Bene tamen arbitratix.* — Insuper conclusio est intelligenda de arbitrio proprie dicto; secus est in arbitrato. Quia compromissum in mulierem, tanquam in arbitratricem, seu amicabilem compositricem, bene potest mulier acceptare, sicut partes pro bono et æquo componere. Casus est in c. *Quinta vallis*. 23 de *Jurejurand.* et notat Abbas in cit. c. *Dilecti*. n. 2. h. t.; Durandus, ubi supra, et alii. Siquidem eorum arbitratore non est iudicium, sed proceditur extrajudicialiter; ac proinde hic cessat ratio in conclusione allata.

44. *Laicus in causa spirituali, an possit esse arbiter?* — Quæritur III. Utrum laicus in causa spirituali, et iudex respectu causæ coram eo agitata, possit esse arbiter? Resp. I. In causa spirituali nequit laicus esse arbiter principaliter, c. *Contingit*. 8. h. t. et doctores ibid. nisi accedente auctoritate, seu jussu Papæ solius; ut limitat Glossa in c. *Decernimus*. §. *Non præsumant*. de *Judiciis*. et Abbas in cit. c. *Contingit*. n. 1. et 3, h. t. Potest tamen accedente auctoritate judicis ecclesiastici laicus conjunctim cum clerico assumi ad arbitrandum de jure spirituali; valetque iudicium ab ipsis prolatum. Textus est in c. *Per tuas*. 9. et tradit Barbosa ibid. n. 3, h. t.; Covarruvias, cap. xxxiv *Practicar. quæstion.* n. 4 et alii abis copiose citati.

45. *Et quid de causis civilibus clericorum?*